

I

DECRETUM S. C. DE PROP. FIDE

De confirmatione administranda iis qui ex gravi morbo
in periculo mortis sunt constituti

S. Congregatio de Propaganda Fide

Decretum

*De confirmatione administranda iis qui ex gravi morbo in periculo mortis
sunt constituti (*)*

“Post latum a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum Decretum “*Spiritus Sancti munera*”, diei XIV septembris an. 1946 (cf. *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXVIII, 1946, p. 349) ad Sacrum hoc Consilium Christiano nomini propagando plures Ordinariorum missionum preces, ad easdem amplioresve facultates obtinendas, pervenerunt.

Quas Ssmus. D. N. Pius Div. Prov. Papa XII, in Audientia diei XVIII huius mensis, referente infrascripto Cardinali Praefecto, benigne suscipere dignatus est.

Omnibus itaque Ordinariis locorum ab hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentibus potestatem Sanctissimus fecit, absque praeiudicio ceterorum indultorum quibus in re fruuntur, ut Sedis Apostolicae indulto (can 782, § 2), tribuere valeant omnibus sacerdotibus sibi subditis curamque animarum gerentibus, facultatem sacram Confirmationem fidelibus sive adultis sive infantibus, intra fines missionalis circumscriptionis exstantibus et in mortis periculo constitutis, valide ministrandi; necnon licite in ipso loco residentiae Episcopi, absente tamen quolibet Episcopo vel legitime impedito; servataque formula a Rituali statuta.

Praesens decretum eadem Sanctitas Sua confici publicique iuris fieri mandavit. Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die XVIII mensis decembris, anno Domini MCMXLVII.—P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*.—C. CONSTANTINI, Arch. Theodos. in Arcadia, *a Secretis*.”

(*) 18 dec. 1947; AAS, 1948, p. 41.